

401. *Ad quid tenetur adulter; et lice non induerit matrem ad supponendam prolem.*  
 402. *In dubio si proles est viri aut alterius adulteri*  
 403. *Si proles mittatur ad hospitalia etc*

99. Distinguenda est obligatio adulteræ ab illa adulteri. Adultera cum reparare nequit mariti, et filiorum legitimorum damnum ob prolem spuriam, quæ nata est, tenetur saltem illud compensare suis bonis propriis, aut se privando illis quæ prætere potest, suis industriis, aut inducendo filium, ut religionem ingrediatur, si sit ad hoc idoneus (1). Dubium restat utrum teneatur prodere delictum suum? Respondemus non teneri, cum prudenter, timeret mortem, aut infamiam, et tale suum damnum valde præponderaret damno viri, et filiorum legitimorum; sed cum damnum respective esset æquale, aut parum excedens, illa non potest suum celare crimen; ita dicunt communiter Lugo Sot. Less. Tol. Croix Roncag. Dian. Tambur. Spor. (contra aliquos). Hinc fit quod adultera debet suum crimen manifestare: 1. Si illa jam sit malæ famæ apud vulgum, aut ut dicunt Less. et Lugo, si fœmina esset adeo vilis conditionis, ut ejus fama non esset tanti, quanti alterius damnum. 2. Si secus timeretur damnum commune, v. gr. si spurium sit perditis moribus, et succedere deberet in principatum. 3. Si illa posset sine multo damno se prodere viro suo: sed recte hic dicunt Lugo et Sporer. difficulter adulteram posse ad id teneri, quia difficulter poterit magnam vexationem evitare, ut inferitur ex cap. 9. de penit. ubi dicitur: *Mulieri quæ de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat conspiteri, non est penitentia deneganda.* Sed contra dicunt communiter Lug. Less. Ronc. Spor. Croix Tamb., etc., quod mater tenetur se prodere filio spurio, si probabiliter sperare posset illum sibi crediturum, (1) L. 3. n. 652.

et bonis cessurum. Nec obstat dicere quod amissio famæ præponderat honorum amissioni; quia ex una parte non est certum quod delicti prolatio apud unum vel alterum probum sit gravis infamiae; imo non videtur improbabile oppositum, ut dicitur *Tract. 11. num. 11.* Ex alia parte mater certe tenetur ad damnum reficiendum, unde quoties certa non est, quod suum damnum sit multo majus damno aliorum filiorum, illa tenetur ad illius reparationem (2).

100. Sed punctum sistit, quod filius non tenetur matri in hoc prestare fidem, ut docent communiter Azor. Filliuc. Lugo Less. Laym. Ronc. Salm. Holzm., etc.: nam nemo tenetur credere testimonio unius, etiam probatissimi, ut habetur ex cap. *Relatum, de testam.* et ex c. *Licet, de test.* ubi dicitur: *Nulla est causa quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.* Cum hoc expediat bono communi, ut vitentur fraudes, quæ secus possent de facili committi. Ideoque dicunt Elbel et alii, quod raro potest accidere quod mater teneatur se prodere apud filium, quia raro contingere potest, quod filius teneatur credere matri. Sed si unquam ea indicia illegitimitatis filii adessent ut nota fuissent, filius jure in foro externo damnaretur, v. gr. si mater perspicue demonstraret viri absentiam, aut impotentiam, tempore conceptionis, tunc filius teneretur credere matri, et mater se prodere apud filium (3).

101. Hactenus de adultera. Quoad adulterum, ille tenetur restituere filiis legitimis tam hæreditatem suæ proli relictam, quam alimenta illi exhibita a tertio anno, quia usque ad tertium annum tenetur eam lactare mater si potest; si autem non posset, etiam tenetur ad hoc adulter (4). Dicunt nonnulli aa. quod si adulter non induxisset matrem ad prolem supponendam inter legitimos, sed in hoc (2) n. 653. — (3) ibid in fine, et n. 654 — (4) n. 655.

se negative habuisset, tunc non tenetur ad alimenta, aut saltem non ad hæreditatem. Sed nos dicimus cum Less. Mol. Cajetan. Conc. Salmant. Croix, etc. communiter ad utrumque obligari; quia ille semper est causa moralis proxima damnorum præfatorum, conjiciendo adulteram in moralem necessitatem prolem supponendi (1).

102. Queritur 1. ad quæ teneatur adulter in dubio an proles sit propria, an viri? Dicit Laym. teneri ad damnum pro rata dubii. Sed communiter docent Sot. Nav. Lugo Less. Sanch. Castropal. Tourn. Conc., etc. ad nihil teneri, quoties nescit certe prolem esse suam; nam secus possidet matrimonium, et possidet etiam adulter exemptionem a satisfaciendo damno (2). Et idem procedit (ut recte dicunt Sot. Sanch. Salm. Trull. etc.) si dubitatur inter duos adulteros, cujus sit proles; eadem ratione, quia non potest imponi onus certum pro dubia obligatione. Debet dumtaxat excipi, cum Elbel et aliis, casus, quando secundus adulter advertisset, quod suo peccato sit causa ipse incertitudinis, ne dignoscatur cujus sit proles: qua incertitudine posita, non potest postea exigi damnum a primo adultero: ideoque hic secundus remanet obligatus ad totum damnum: juxta id quod dictum fuit n. 45. (3).

103. Queritur 2. an si adulteri essent opulenti, et mitterent prolem ad hospitalia, teneantur ad refectioem expensarum? Affirmant Spor. Elbel Salm., etc. quia (ut dicunt) hujusmodi opera instituta sunt tantum pro pauperibus. Sed probabiliter negant Henr. Dicast. Rodrig. et Renzi, et probabile dicunt etiam auctores primæ sententiæ, quia hospitalia non sunt erecta solum ob parentum pauperum levamen, sed etiam et forte potius ad cautionem filiorum ex illegitimo consortio natorum, ob periculum, quod eis subest mortis tem-

(1) n. 659. — (2) lib. 3. n. 657. — (3) n. 658.

poralis et æternæ, si parentes deberent suis impensis eos alere (4).

#### UNCTUM VIII.

DE TEMPORE ET MODO RESTITUTIONIS.

104. *Obligatio statim restituendi, et damnnum reparandi.*  
 105. *Non debet absolvi penitens antequam restituat.*  
 106. *Potest restitui per alium: sed quid si iste non restituit, etc. Etsi confessarius faciat celebrare Missas, cum dominus est certus, etc.*

104. Quoad tempus, far (cum possit) tenetur quam primum restituere, alioquin peccat graviter, et toties (juxta opinionem Bonac. et aliorum) quoties ei offeruntur occasiones restituendi; sed juxta id quod dicunt Lugo Nav. Salm., etc. probabiliter committit unum continuatum peccatum: observetur quod dictum fuit *Tract. 3. num. 61.* Non est autem capax absolutionis qui vellet restituere in morte, cum possit in vita, aut vellet restituere partem, cum possit totum. Caterum potest aliquando debitor differre restitutionem cum adest justa causa, ut esset ad evitandum scandalum, aut propriam infamiam, aut ob alias rationes, quæ puncto sequenti examinabuntur. Sed advertendum cum sententia communiori Lugonis Less. Mol. Tambur., etc. (quicquid dicant alii) quod cum debitum provenit ex delicto, non obstante causa justa differendi restitutionem, semper tenetur fur ad totum damnum, quod creditor patitur, reficiendum; quia hujusmodi damni semper causa est furtum antea factum (5); secus autem, si debitum proveniat ex ratione contractus (6).

105. Præterea, potest differri restitutio cum dilatio esset modica (nempe 20. dierum, ut putat Castropal.) et creditor nullum damnum pateretur: cæterum, cum penitens potest statim restituere, regulariter loquendo dicimus cum Conc. quod confessarius non potest absolvere debitorem (4) n. 656. — (5) n. 679 ad 682. — (6) n. 678.

rem, nisi prius restituat, ut dicemus pariter *Tract. ult. punct. 1.* loquendo de iis, qui sunt in occasione proxima. Ratio est, quia cum restitutio sit res valde difficilis ad exequendum, si pœnitens absolveretur antequam satisfaciat, communi experientia quæ habetur, relinquatur in eodem non restituendi periculo. Quare recte ait s. Thomas de Villanova: *Prius restituat, et tunc ad confessarium redeat, ut absolvatur.* Dictum est *regulariter*, quia (ut dicit idem p. Concina) si restitutio non potest fieri tam cito, et pœnitens dignoscatur vere paratus satisfaciendo, potest absolvi prima vice; et probabiliter (ut dicunt Lugo et Salm.) etiam secunda et tertia vice, si eæ concurrant circumstantia, ut confessarius debeat illi dilationem concedere (1). Si autem admonitio de restitutione non esset profutura, vide quod dicitur *Tract. 16. n. 115.* loquendo de Pœnitentiæ Sacramento.

106. Quoad autem modum restituendi, qui non posset sine sua infamia per se restituere, debet saltem secreto per confessarium, aut per alium fidelem restituere. Sed hic dubium fit: cum accideret quod confessarius sibi retineret pecuniam sibi traditam, ut restituatur, an pœnitens teneatur iterum ad eam solvendam? Negant Sotus Castr., etc. dicentes quod, cum non teneatur debitor ad palam restituendum, tenetur esse contentus creditor de restitutione manu alterius. Sed nos absolute affirmamus cum Lugo, (qui vocat contrariam tene probabilem) Less. Nav. Silv. Spor. Salm. Croix, etc. 1. quia licet fur non teneatur ad manifestandum suum delictum, nihilominus semper tenetur ad reddendum dominum indemnem; 2. quia fur tenetur ad omnia damna quæ eveniunt domino causa furti; et nunquam præsumitur dominus esse contentus, usquedum non recuperet quod sibi ablatum est (2). Si vero dominus esset certus, et con-

(1) lib. 3. n. 679. et 682. — (2) n. 705.

fessarius imprudenter Missas celebrare fecisset; ait Tamb. quod si prima opinio opposita superius allata Soti, etc. est probabilis in primo casu, probabilis est etiam in hoc quod debitor ad nihil tenetur. Sed nec huic acquiescere valeo, quia semper creditor petit suum, et de illo, arbitrio suo, non aliorum, vult disponere (3). Jam dictum est *num. 65.* quod fur tenetur curare, ut suis sumptibus perveniat in manus creditoris. Adverte tamen, quod commodatarius, si rem commodatam mittit domino per virum qui communiter existimatur fidelis, et res venditur, adhuc ob culpam emissarii ad nihil tenetur, ita statutum per *L. Argentum 20. ff. de commodat.*

#### PUNCTUM IX.

DE ORDINE PERSONARUM QUIBUS RESTITUTIO PRIUS FACIENDA EST.

107. *Si res existit, debet domino tradi, sed si alienata est, etc.*

108. *Debent præferri creditores onerosi*

109. *Si omnes sunt onerosi.*

110. *An debita ex delicto, an ex contractu, etc.*

111. *An debita certa incertis.*

112. *An hypothecaria anteriora; et an anteriora personalia.*

113. *An debitor possit præferre quem maluerit.*

114. *Quid si creditor exigit, etc.*

115. *Si servus recipit salarium a domino ære alieno gravato.*

107. Cum debitor potest omnibus satisfacere, nullus ordo observandus est. Sed cum non potest omnibus, sequentes regulæ observandæ sunt: 1. Si res existit, debet utique domino illa restitui, aut, eo deficiente, pauperibus, ut dicit Busemb. Idem currit pro restitutione rei emptæ, cum pretium non est solutum, quia tunc dominium penes venditorem restat, ut habetur ex §. *Vendita, instil. de rer. div.* Secus autem si venditor pretio pignus, aut cautionem accepisset; tunc enim dominium jam in emptorem translatum est, et venditor jam pro suo pretio in tuto est: et

(3) *ibid.* v. Quid si.

idem dicimus cum Lugo Mol. Laym. Castrop. Vasq. Azor., etc. (contra Bonac et Salm.) si fidem pretii percepit, quia etiam tunc rei dominium est emptoris, ut in *capite sequenti de contract. num. 167.* Quare tunc nihil aliud venditori competit quam actio personalis in emptorem (1). Si amenesset pecunia furtiva confusa cum propria, recte dicunt Castropal. Ronc. et Croix, illam restitui debere suo domino, dum in tali casu totus cumulus eidem remanet obligatus (2).

108. 2. Debita onerosa satisfacienda sunt ante gratuita, quia horum promissio semper includit tacitam conditionem *deducto ære alieno* (satisfactis debitis) ut dicunt communiter Lugo, Silv. Molin. Navar. Less., etc. ex *L. Inter, §. 15. ff. de re judic. (3).*

109. 3. Si debita autem sunt omnia onerosa, 1. debet satisfieri debitis, quibus obligata sunt bona debitoris cum expressa hypotheca. 2. Debitis cum hypotheca tacita, et hæc inter præferendæ sunt uxorum dotibus. 3. Depositis, in manu debitoris deperditis. 4. Debitis privilegiorum, nempe, pupillorum, locorum piorum, etc. 5. Cæteris debitis personalibus. Sed omnibus istis creditoribus, licet expressam haberent hypothecam, debet semper præferri qui pecuniam dedit ad rem emendam, aut ad domum reparandam, aut ad campum colendum, et custodiendum, aut ad colligendas fruges, ut est expressum in *L. 3. ff. Qui potiores, etc. (4).*

110. Dubitatur 1. quæ debita prius satisfacienda sunt, an quæ ex delicto, an quæ sunt ex contractu? Tres sunt sententiæ: Prima præfert quæ sunt ex delicto; ita Medin. Rebell., etc. cum s. Thoma (5), quia retinere res ablatas est major injuria, quam non solvere pro debito promisso ex contractu. Secunda præfert debita ex contractu, non jam gratuito, sed

(1) n. 684 et 685. — (2) n. 686. — (3) L. 3. n. 649 v. Secunda et n. 689. — (4) n. 689 et 690. — (5) Opusc. 73. c. 18.

oneroso; ita Cajet. Nav. etc., quia secus (dicunt isti) fieret restitutio pro furto ex eo quod ad alios spectat; sed Lugo hanc rationem uti firman non habet. Tertia communior Lugo Less. Castr. Bonac. Laym., etc. et mihi probabilior, dicit præfatis debitis *pro rata* satisfaciendum esse, modo non existat in specie res domini, aut modo non sit alicui creditorum hypotheca, secus, nullum habetur fundamentum ex lege aliqua, quod inter creditores ex delicto aut ex contractu prælatio facienda est (6).

111. Dubitatur 2. an debita certa (nimirum quorum domini certi) præferenda sint incertis? Probabiliter affirmant Less. Bonac. Busemb. Salmant. etc., quia debita certa lege naturæ debentur creditoribus, incerta vero tantum ex lege positiva debentur pauperibus. Nihilominus est satis probabilis sententia Mol. Bann. Tap. Rebell. etc. a Lugo nuncupata probabilissima, restitutionem faciendam esse *pro rata*; dum est valde probabile, ut aliunde dicunt Cajet. Covarr. Arag., etc. quod restitutio pauperibus debeatur etiam ex lege naturali; nam talis præsumitur esse creditorum ignotorum voluntas, quia cum ad ipsos nequeat pervenire restitutio, saltem fiat pauperibus pro suis animabus (7).

112. Dubitatur 3. an semper præferendi sint creditores anteriores? Loquendo de creditoribus hypothecariis cum expressa hypotheca, certum est semper inter ipsos præferendos esse anteriores. Et idem dicunt Lugo Vasq. Mol. cum aliis communius de creditore cum hypotheca tacita, quod debet iste præferri illis qui habent expressam. Inter creditores vero personales non negatur probabilis esse sententia Castr. Less. Holzm., etc. quod istis debeat pro rata creditorum satisfieri, dum istis non sunt obligata bona, sed persona debitoris quæ æque est obligata omnibus. Sed communior et probabilior est sententia de Lugo sancti An-

(6) n. 688. — (7) n. 687.

tonini Suar. Nav. Bonac. Conc. Croix Tol. et Salmant. qui citant sanctum Thomam et alios. præferendos esse personales anteriores, quia regula: *Quil prior est in tempore, potior est in jure*, licet a lege civili pro solis hypothecariis assignata sit, tamen a jure canonico (reg. 45. *jur in 6.*) illa assignatur pro omnibus; et talis regula est fundata in lege naturæ, dum licet creditor personalis directe habeat devictam solam debitoris personam, indirecte tamen sibi habet bonam illius obligata (1).

113. Dubitatur 4. an debitor possit inter creditores personales pauperiorum præferre? Probabiliter id asserunt Molin. Sa Less. Laym. Med., etc. cum s. Thoma (2), quia pauper majus damnum suffert. Sed probabilius id negant Lug. Castrop. Azor. Vasq. Less., etc., quia talis prælatio nullibilegum indicata reperitur. Excipit Less. si pauper esset in gravi necessitate; sed hoc dico debere intelligi tantum quando alii creditores tenerentur in particulari ad succurrendum tali pauperi, ex obligatione præcisa eleemosynæ (3).

114. Dubitatur 5. an creditor qui integrum suum debitum exigit, possit illud sibi refinere, quin aliis personalibus creditoribus impertiatur? Negat Lugo, si ille non est anterior, et si extrajudicialiter exigit. Sed est communissima sententia opposita, Less. Navar. Cabas. Salmant., etc., quia leges favent vigilantibus exactoribus; et non distinguunt in judicio, an extra, ut observatur in *leg. Pupillus, ff. Quæ in fraud. et L. Si non, in 6. §. 1. ff. de bon. auct. jud.*, etc. Hinc dicit Busemb. cum Silv. Navar. et Bonac. quod, cum quis creditorum personalium æqualium suum creditum efflagitat, debitor tenetur ei satisfacere (4). Si nullus vero creditorum exigit, non potest debitor (qui est impotens satisfaciendo omnibus suis creditoribus) arbitrio

(1) n. 690. — (2) Opusc. 73. c. 18. — (3) L. 3. n. 691. — (4) n. 692.

suo uni integre satisfacere. Et in tali casu dicimus cum Castrop. Tourn. Conc. Salm. Bon. Azor., etc. (contra Less. et alios) non posse creditorem integram solutionem sibi factam retinere. Nec obstat dicere quod præfata lex, Pupillus. non revocat quod solutum est, quia leges tantum intendunt remunerari creditoris diligentiam, non autem dare alicui jus refinendi quod debitor ei injuste solvit; nec in hoc juvare potest acceptione in bona fide (5).

115. Dubitatur 6. an possit servus qui non est præcise necessarius recipere stipendium a domino ære alieno gravato? Respondetur quod potest refinere illud, si in bona fide recepit. Si autem ille advertit dominum in posterum futurum fore aliis creditoribus satisfaciendo injuste (sine necessitate) impotentem ex tali solutione, dicimus cum Navar. Ang. etc. eum teneri ab illo discedere, nec posse prosequi ad exigendum; nam alias ille fit causa creditorum damni, ut diximus in simili casu n. 75. (6). Contra uxores, et filii licite recipiunt alimenta a patre quantumvis ære alieno gravato, ut dicunt Sanchez Laym. et Croix (dummodo non habeant unde aliunde vivant), cum talis debitor teneatur ex justitia eos alere. Imo quantum ad uxorem dicunt Mol. Navarr. Vasq. et Laym. illam, licet haberet unde viveret, etiam posse a viro usurario ad restituendum impotente alimenta recipere; quia vir non minus tenetur ad mulierem alendam, quam ad pro debitis solvendam. Addit Laym. quod mercedes operariorum pro debitoris necessariis usibus debent etiam creditis hypothecariis præferri (7).

#### PUNCTUM X.

QUE CAUSÆ EXCUSANT A RESTITUTIONE.

116. *Causæ excusantes ex parte debitoris sunt*: 1. *Si restituitur ejus creditori*; 2. *si presumitur ejus consensus*; 3. *si prævidetur ejus abusus.*

(5) n. 693. — (6) n. 694. — (7) n. 695

447. *Ex parte debitoris*: 1. *Si deest culpa*; 2. *si obtinetur compositio*; 3. *si damnum suum est multo majus*; 4. *si adest animæ periculum*; 5. *vel vitæ, vel famæ*; 6. *si cedit bonis.*

448. *Excusat necessitas.*

449. *et 420. Quid si creditor etiam esset in necessitate.*

116. Nonnullæ causæ excusant ex parte creditoris, aliæ ex parte debitoris. Ex parte creditoris excusat 1. si solvis creditori creditoris tui, quia tunc acquirendo cessionem crediti illius, jam potes juste compensare. 2. Si prudenter præsumere potes dominum consentire, ut tu illam rem tibi sumas, aut acceptam tibi retineas, ut communiter admittunt Silv. Navarr. Lug. Less. Sanch. Sa Sayr. Holz. Croix, etc. (1) et expresse hoc docet s. Anton. (2) qui dicit: *Invito domino dicitur, quia si credit dominum permittitur, et subest justa causa credendi, (restituere) non tenetur.* Et habetur ex L. 46. §. 7. ff. *de furtis*, ubi sic dicitur: *Recte dictum est, qui putavit domini voluntatem attingere, non esse furem; quid enim dolo fecit qui putat dominum consensurum fuisse?* Ratio est, quia tota furti malitia consistit in eo quod contra domini voluntatem alienum accipit; unde supposito domini consensu, non est amplius furtum. Confirmatur hoc ex s. Th. (3) qui permittit Religioso donare sub spe ratihabitionis prælati, nempe si putat licentiam habiturum fuisse, si ab eo illam petisset. 3. Debitor ad restitutionem non tenetur, si dominus rei restituendæ hac abusus fuisset ad peccandum, ut dicunt Less. Lugo Sot. Mol. Navar. Croix, etc. contra alios; et expresse id docet s. Thomas (4) dicens: *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, vel alteri, non debet ei tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad*

(1) L. 3 n. 700. v. Quar. hic 1. — (2) 2. p. t. i. c. 15: in princ. — (3) in 4. D. 45. q. 2. art. 5. ad 4. — (4) 2. 2. q. 2 a 5, ad 1.

*utilitatem ejus cui restituitur* Ime quando dominus ea re in tertii damnum abusus fuisset, tu teneris denegare illam, semper ac sine damno tuo gravi potes ei illam denegare, ut dictum est n. 36. ubi dictum fuit nunquam licere, etiam ad vitandam propriam mortem, gladium restituere volenti inimicum occidere. Et tunc peccares non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, ut docent communiter Lugo Sot. Less. Castrop. Conc. et Salm., quia proximus jus habet ne quis in sui damnum cooperetur (5).

117. Ex parte autem ipsius debitoris, excusatur ipse a restitutione, 1. si in damno causando culpam lethalem non commisit, ut n. 39. diximus. 2. Si restitutio pauperibus pro debitis incertis facienda esset, et debitor a Papa compositionem obtinisset, ut dictum est n. 68. aut si ipse pauper esset, et sibi applicasset (6). 3. Si restituere sine damno suo multo majore, et duplo excedente nequiret, nam tunc recte restitutionem differre potest, modo ex dilatione æquale damnum dominus passurus non esset; ut dictum est n. 65. Pro amissione vero lucri non potest debitor restitutionem differre, ut recte dicunt Salm. Excipit Beya, si ex dilatione nullum passurus esset damnum creditor (7). 4. Si restituere non posset debitor sine periculo animæ suæ aut suorum, v. gr. si periculum subesset quod mulier aut filia prostituatur, aut se dedit in latrocinia, etc. ita Less. Mol. Bon. Filliuc, etc. (8) 5. Si restituere sine vitæ aut famæ periculo non potest; modo famæ suæ amissio damno creditoris præponderet, ut n. 99. in fine. 6. Si cedit bonis suis; nam leges debitori impotenti omnibus creditoribus suis satisfaciendo permittunt, ut sibi refineat quantum satis est ad se sustentandam juxta statum suum, cedendo illis reliqua sua bona, et ita ut liber sit pro

(5) n. 697. v. Teneris. — (6) n. 696. — (7) n. 697. — (8) n. 698. ad 9.

eo quod solvendo non est, modo ad meliorem fortunam non perveniat: *L. Cum, et fil. c. Qui bon.*, etc, licet dicat Layman, quod etiam ille in paupertate sua remanens, tenetur laborare, et acquirere quantum potest, ut satisfaciat. Notandum tamen talem cessionem locum non habere in debitis ex delicto: quamvis Less. Navarr. et Salon. etiam concedant furi cedere bonis, retinendo sibi quantum ei ad victum satis est (1).

118. Excusat 7. paupertas, si restituendo vitam decentem juxta statum suum debitor ducere non possit; Azor. Sot. s. Anton. Navarr. Laym. Salm. Croix, et alii communiter (2); modo (intelligitur) debitor talem statum juste acquisiverit; nam si injuste acquisivisset furtis aut fraudibus, ille teneretur ad restituendum, etiamsi casurus sit a suo statu, ut communiter dd. Præterea intelligitur, ut dicunt Castropal. Navarr. Silvest. p. Layman Croix, etc. modo debitor culpabiliter ludis, crapulis, etc. in talem necessitatem se non conjecerit: sed hoc non obstante, semper ac debitor a suo statu juste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Ceterum recte advertunt s. Antonin. Spor. Elbel, etc. quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminuere, ut possit restituere saltem quod potest (3).

119. Sed majus dubium est, an paupertas a restitutione excuset, cum dominus etiam esset pauper? Hic oportet distinguere necessitatem extremam a gravi; si debitor restituendo se aut suos (nempe filios, parentes, aut uxorem) in extremam necessitatem conjecturus esset, excusatur; quia tunc bonis quæ restitutus esset utitur, non secus ac si jam in extrema necessitate constitutus esset; et hoc quamvis res aliena in sua specie existeret; et etiamsi rei dominus in

(1) n. 699. — (2) L. 3 n. 702. — (3) n. 6:8. ad 5. et 6. et n. 702. ad Dicendum 2.

eadem necessitate extrema reperretur; quia in tali necessitate omnia sunt communia, ideoque in tali casu melior est conditio possidentis; sed recte excipiunt Less. et Castrop. si accideret casus quod dominus rei ex illo particulari furto in extrema necessitate positus esset: dum dominus qui prius possidebat tunc præferendus est (4). Sed si fur, necessitate transacta, teneatur ad restitutionem, vide dicta num. 49.

Loquendo autem de gravi necessitate, si solus debitor est in gravi necessitate, aut si restituendo decidere debet a statu suo juste acquisito, bene potest ille restitutionem differre, ut dictum est num. præcedenti. Sed dubium restat, cum uterque, nempe debitor et creditor sunt in eadem gravi necessitate, an debeat fieri restitutio: et respondetur quod, si creditor jam in gravi necessitate reperitur, debitor restituere debet, licet in æqualem gravem necessitatem conjiciendus esset, quia in æquali necessitate præferendus est creditor; ita communiter Azor. Mol. Less. Laym. Spor. Salm. Croix, etc. sed si debitor et creditor in eadem necessitate gravi jam reperiuntur, adeo ut illud vitæ sustentandæ juxta eorum statum satis non sit; tunc aliqui dicunt debitorem teneri restituendo: saltem cum debitum est ex delicto; ut dicit Ronc. Sed Lessius Castrop. Sylv. et Trullench. cum eodem Ronc. merito dicunt, probabile esse in tali casu restitutionem posse differri: quia tunc debitor restituendo subijcere se deberet damno multo majori, dum ex gravi necessitate in quasi extremam prolabi deberet. Sed excipitur semper, si creditor propter illud furtum in particulari in illam gravem necessitatem lapsus esset. Excipitur si res in specie existeret (5). Advertendum hic tandem, quod qui dubitat an damnum quod causavit, sit leve, an grave, non tenetur compensare nisi leve. Sed si res ablata existit, et dubitat an

(4) n. 701. — (5) n. 701. et 702.

sit valoris gravis, an levis, tenetur sub gravi ad eam restituendam; aliter exponet dominum ad injuste subeundum damnum grave (4). Ad quid autem teneatur possessor bonæ fidei, superveniente dubio, quod res non sit sua, vide dicta n. 73. hujus Tract. et Tract. 1. n. 20.

120. Quæritur hic ultimo, an debitor donans creditori immemor sui debiti, a restitutione excusetur? Negant Sanch. Laym. Bonac., etc. quia (ut aiunt) non potest una solutione satisfieri duabus obligationibus, uni ex titulo justitiæ, alteri ex titulo gratuito. Sed affirmant Card. Rodriguez Mazzotta et La-Croix, cum Rebellio ac aliis, quorum sententia satis est probabilis, semper ac certe præsumitur quod debitor, si debiti fuisset memor, nequaquam donasset. Ratio est, quia semper censetur quisque, cum dat bona sua, velle potius satisfacere obligationi justitiæ, quam voluntati donandi, sive obligationi factæ donationis, quæ cum facta fuerit per errorem, sive per debiti oblivionem, quæ dedit causam donationi, manet rescindibilis ab eodem donante, qui in conscientia non tenetur ad eam implendam; nam in quovis homine supponitur tacita mens non velle se obligare, ubi deceptus invenitur (2). Nec obstat 1. quod in contractibus non attenditur voluntas interpretativa, seu conditionalis, sed actualis; quoniam in nostro casu non intelligitur facta satisfactio primæ obligationi per voluntatem interpretativam, sed per voluntatem actualem ab initio habitam a debitore satisfaciendi debitum quod contrahebat; quæ voluntas habitualiter perseverat semper ac non revocatur; et hæc voluntas debet prævalere, tanquam anterior et magis urgens; idque probatur ab iis quæ scribunt ipsimet adversarii in similibus casibus (3). Nec obstat 2. quod debitum certum nequit compensari cum satisfactione probabilis, quia hoc

(1) n. 706. — (2) L. 3. n. 700. v. Quær. 2. — (3) Ibid.

procedit, cum debitum est certum et solutio est tantum probabilis; sed in casu nostro habetur quod debitum est certum et satisfactio sive datio debiti compensativa etiam est certa quapropter æqualitas jam ponitur. Stante igitur ex una parte debiti oblivione, quæ causam dedit donationi, redditque eam aut nullam, aut saltem rescindibilem ab eodem donante; et ex alia parte præsumpta satisfactione obligationis justitiæ per voluntatem perseverantem debitoris illam satisfaciendi: in hoc casu redditur dubia lex sive obligatio satisfaciendi duobus oneribus justitiæ et donationis; et cum hujusmodi lex sit dubia, ipsa non obligat, juxta id quod dictum est in Tract. 1. ex n. 15 et 32.

Idem autem quod dicitur hic de debito procedit de votis; quapropter si quis aliquod edidit votum, et postea implet operam promissam immemor voti, non tenetur iterum implere, semper ac pro certo præsumere potest quod, si memor voti fuerit, pro eo operam impletam applicasset. Idque communiter docent Suarez Azor. Bonac. Lessius Laym. Sanch., etc. quia tunc votum impletur per illam primam voluntatem habitam in principio, cum votum fuit emissum. Idemque dicunt ipsimet aa. de obligatione implendi pœnitentiam sacramentalem (4).

## CAPUT IV.

## DE CONTRACTIBUS.

## PUNCTUM I

## De contractibus in genere.

121. Quot modis constituuntur contractus.  
122. Qui contrahit sine animo contrahendi, aut se obligandi.  
123. De contractibus turpibus.  
124. De contractibus initis dolo, an errore.  
125. Metu.  
126. Sine solemnitatibus.

121. Contractus quatuor modis constituitur: 1. solo consensu, ut venditio, locatio, etc. 2. solis verbis, ut (4) N. 700. v. Limitant vero.